

„ sed sanctorum Canonum praeferat Executorem at-
 „ que Custodem . Id quidem ipse haud obscure signifi-
 „ cat pluribus in locis , quum de rebus Ecclesiasticis
 „ decernit aliquid : cuncta enim ex sanctorum Canonum
 „ sententia se agere profitetur , ut in Novella Conti-
 „ tut. tertia , ubi ait : *Quod nobis videbatur bene & com-
 „ petenter habere , & Regularum sanctorum digne &c.*
 „ Sed & Novella sexta , illis verbis : *Hoc autem futu-
 „ rum esse credimus , si sacrarum Regularum observatio
 „ custodiatur , quam iusti & laudandi & adorandi Impe-
 „ ratores , & ministri Dei Verbi tradiderunt Apostoli ,
 „ & Sancti Patres custodierunt & explanaverunt . San-
 „ cimus igitur , sacras per omnia sequentes Regulas &c.*
 „ Ad haec cumulatissime Novella 123. in editione Ha-
 „ loandri , & Novella itidem 133. & 7. , in quibus omni-
 „ bus idipsum pluribus monet . Sed & Joannes P. pa-
 „ [ut suo loco dicturi sumus] ex ejusdem Imperatoris
 „ Legatorum relatione testatur , ea quae de fide idem
 „ promulgaret edicta , facere consuevisse ex Episcopo-
 „ rum consensu . Sic igitur quum in his tradendis ,
 „ tum ipse , tum etiam alii Imperatores non aliud , ni-
 „ si Custodes & Executores sanctorum Canonum se ha-
 „ buerint ; nihil plane est , ut ab ipsis promulgata im-
 „ probari debeant Sanctiones . *Concludit* . Sed minime
 „ quidem de his mirari quis debet , vel scandalum ul-
 „ lum pati , quod saecularis Principis vigeant ejusmo-
 „ di Leges . Quae enim iusta , rectaque sancita novit
 „ Ecclesia , minime respuere consuevit , sed ea suis le-
 „ gibus & decretis probat , etiamsi eorum non Christia-
 „ nus Princeps , sed Diocletianus fuerit promulgator ,
 „ vel quivis alius persecutor Ecclesiae ; secus vero siquid
 „ minimum adversus sacras leges ac bonos mores ab
 „ eis praesumptum sit „ . Demum ad ann. 534. n. 32. ex
 „ S. Agapiti Papae Epistola 6. ad Justinianum , ostendit ,
 „ quomodo probentur Justiniani de Fide Constitutiones .
 „ Cupis enim , Venerabilis Imperator [*inquit Agapitus
 „ Papa*] ut tuae pietatis Epistolarum de Fidei vestrae
 „ expositione nuper ad beatae memoriae praedecessorem